

ARTICULUS III.

De Hæreticis et Apostatis.

1°. Ille propriè dicitur Hæreticus, qui veritatem revelatam, et ab Ecclesia ad credendum propositam, pertinaciter negat. Quapropter Hæreticus non est, quisquis in Religione graviter errat, nisi errori jungatur pertinacia. Contumax autem meritò censetur, qui seum errorem non vult deserere, qui contrarius est dogmati ab Ecclesia apertissimè definito ad fidemque proposito; ab Ecclesia, inquam, quæ vera sit, non qualem sibi fingit Hæreticus.

2°. Hæretici, alii sunt manifesti, qui aperte dogma fidei oppugnant, vel rejiciunt; alii occulti qui errorem suum dissimulant, et profitentur exteriùs quod negant interiùs. Nonnulli censent Hæreticos, etiam manifestos, ob Baptismum et quædam alia Sacramenta, aliquo sensu dici posse Ecclesiæ membra: sed citra ullam salutis spem; ita Alphonsus à Castro. Sunt autem et alii, qui Hæreticos latentes, et ab Ecclesia minimè separatos, ab ea tamen, ob fidei defectum, excludunt.

PROPOSITIO.

Hæretici publici non sunt Ecclesiæ membra; bene verò occulti.

Probatur prima pars. 1°. Nemo est societatis membrum è qua exiit, cujusque sinum deseruit atqui tales sunt Hæretici publici respectu Ecclesiæ: de iis enim dicit Joannes: *Ex nobis prodierunt.* (1. Joan. cap. 2.) Hæreticus à quolibet fidei, etiam ab Episcopo, vitandus est: *Hæreticum hominem, post unum et secundam correptionem, devita; sciens quia subversus est, qui ejusmodi est.* (Tit.

3. 10.) *Nec ave ei dixeritis*, inquit Joannes: (2. Ep. v. 10.) atqui homo à quolibet Ecclesiæ membro vitandus, jam desinit esse illius membrum: hæc enim præcipua est cujuslibet membri prærogativa, ut cum aliis communicet. 3°. Qui neque ad Ecclesiæ animam, neque ad corpus pertinet, is nullo modo est Ecclesiæ membrum: atqui ita se habent Hæretici manifesti: non pertinent quidem ad Ecclesiæ animam: duo sunt enim in quibus potissimùm consistit Ecclesiæ anima, fides vera et caritas non ficta: atqui Hæretici manifesti, nec veram fidem habent, utpotè Hæretici nec caritatem: *Caritas enim Christiana, nisi in unitate Ecclesiæ, non potest custodiri*, ait Augustinus, (Lib. 2: *adversus litt. Petil. cap. 77.*) ergo non pertinent ad Ecclesiæ animam; sed neque etiam ad corpus: ii quippè soli corpus Ecclesiæ constituunt, qui ipsius fidem exteriùs profitentur, iisdem sacramentis utuntur, et legitimis Pastoribus subjiuntur: atqui hæc omnia Hæreticis manifestis desunt, ut satis patet; ergo non pertinent etiam ad corpus Ecclesiæ; cujus proindè nullo modo sunt membra. 4°. Hæreticos suum ad sinum redeuntes, Ecclesia per impositionem manuum societati suæ rursùs cooptabat, ut patet ex Can. 8. et 19. Concilii Nicæni primi: atqui hæc redintegratio supponit hujusmodi Hæreticos priùs ab Ecclesia recessisse. Denique Ecclesia singulis annis feriâ sextâ Hebdomadæ Sanctæ, Deum enixè rogat ut Hæreticos et Schismaticos ad unitatem Ecclesiæ revocare dignetur: atqui non reducit ad unitatem Ecclesiæ, nisi qui ab ea discesserit ergo, etc.

Prob. secunda pars. 1°. Illi sunt in Ecclesia, qui in ea ante Hæresim fuerunt, neque ab ea exierunt: atqui Hæretici occulti in Ecclesia fuisse supponuntur, nec ab ea discesserunt: duplex enim tantum esse potest ab Ecclesiæ communione separatio, quemadmodùm à quacumque societate

exteriori; altera voluntaria, quâ aliquis sponte secedit; altera pœnalis, quâ propter delictum aliquis ejicitur; atqui Hæretici, de quibus hic agitur, neque sponte ab Ecclesia recessere, neque ab ea ejecti sunt; ergo ad exteriorem ejus communionem adhuc pertinent. 2^o. Illi à corpore Ecclesiæ non excluduntur, qui iisdem, ac membra Ecclesiæ, vinculis nectuntur, atqui ita se habent Hæretici occulti: nam vincula quibus consociantur Ecclesiæ membra, sunt fidei professio, Sacramentorum participatio, legitimis Pastoribus subjectio: atqui hæc tria non abjiciunt Hæretici occulti; ergo, etc. 3^o. Si Hæretici occulti corporis Ecclesiæ non essent membra; maximè quia non habent fidem internam: atqui hæc ratio nulla est: si enim, propter fidei interioris defectum, aliquis desineret esse Ecclesiæ membrum, cum homines de internis non judicent, nec certo dignosci possit, in quibus vera sit fides interior, jam de nullo homine constare posset, illum esse Ecclesiæ membrum; ac proinde Ecclesia fieret prorsus invisibilis: atqui illud omninò falsum esse ex postea dicendis apertum erit; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. adversùs primam propositionis partem. Ecclesia judicat de Hæreticis publicis, eosque plectit: atqui ex Apostolo, Ecclesia, *de iis qui foris sunt non judicat*; (1. Cor. 5. 12.) ergo Hæretici publici non sunt foris, sive extrâ Ecclesiam.

Resp. Dist. maj. Ecclesia judicat de Hæreticis publicis, tanquam subditis rebellibus, conc. maj. tanquam de filiis suis, ac membris sibi conjunctis; neg. maj.

Licet Hæretici non sint Ecclesiæ membra, jus tamen in ipsos, tanquam suorum castrorum desertores, retinet Ecclesia, in eosque, veluti dominus in servum fugitivum, animadvertere potest;

sic etiam in transfugam dux militiæ mortis sententiam pronuntia, quanquam desertor amplius non sit exercitûs membrum, à quo defecit.

Obj. 2^o. Illi censuerunt Hæreticos manifestos ad Ecclesiam, ut membra, pertinere, qui Baptismum, ab ejusmodi Hæreticis collatum, habuerunt ut validum: atqui Patres Baptismum, Hæreticis etiam manifestis collatum, validum esse contra Donatistas propugnârunt; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd Patres, ut validum, admiserint Baptismum ab Hæreticis, etiam manifestis, datum, non sequitur hujusmodi Hæreticos sanctis Doctoribus Ecclesiæ membra visos fuisse: ut enim aliquis validè Baptismum conferat, necesse non est eum ad Ecclesiam pertinere, si ipsimet infideles, qui nullam sanè cum Ecclesia habent societatem, possint Baptismum validè administrare: atqui rem ita esse probabimus in Tractatu de Baptismo. *In casu necessitatis etiam Paganus . . . baptisare potest*, inquit Eugenius IV. Papa; (*Decret. pro instructione Armenorum.*) ergo, etc.

Obj. 3^o. Qui retinent Baptismi characterem; per quem Ecclesiæ corpori fuerunt insiti, ii sunt Ecclesiæ membra: atqui Hæretici, etiam publici, retinent, etc.; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ipsimet enim Apostatæ manifesti indelebilem Baptismi characterem, retinent: atqui tamen eos in Ecclesia non esse fatentur adversarii: itaque character Baptismate impressus non sufficit, ut aliquis Ecclesiæ membrum fiat; sed insuper requiritur exterior ejusdem fidei professio, legitimisque Pastoribus subjectio: atqui neutra in Hæreticis publicis reperitur, ut res ipsa clamat; ergo, etc.

Nonnullæ sunt aliæ difficultates, quæ opportunè solventur, ubi de unitate Ecclesiæ disputabimus.

COROLLARIUM.

Ergo Apostata manifesti sunt extra Ecclesiam.

Ex dictis enim, Hæretici publici ad Ecclesiam non pertinent; ergo multò minus Apostata; tales scilicet dicuntur ii qui, postquam Christo nomen dederunt, ipsum abjicere non veriti sunt: atqui detestandum illud hominum genus longè magis ab Ecclesia alienatur, quàm Hæretici qui aliquos semper doctrinæ à Christo traditæ articulos retinent, dum omnes repudiat Apostata: vero occulti sint Apostata, eadem esse videtur horum conditio, quæ Hæreticorum occultorum, quos ad Ecclesiæ corpus pertinere diximus.

ARTICULUS IV.

De Schismaticis.

Schisma peccatum est, quod directè et per se unitati opponitur, et ideò propriè Schismatici dicuntur, qui suâ sponte ab unitate Ecclesiæ sese disjungunt. Cujus criminis ii rei sunt, qui vel Ecclesiæ auctoritatem in aliquo disciplinæ universalis capite contemnant, vel ab ipsis Pastoribus, quorum primus est beati Petri successor, recedunt; vel cum fidelibus non communicant; vel societates novas cum novis Ministris instituunt, ut fecerunt Pseudo-Reformati. Quapropter non ille tantùm Schismaticus est, qui sese à capite separat, sed ipsum caput meritò Schismaticis argueatur, si à membris sese divideret, ut docet evinctus Cyprianus, (*Epist. 52.*)

PROPOSITIO.

Schismatici non sunt Ecclesiæ membra.

Prob. 1°. Quia illi non sunt Ecclesiæ membra; pro quibus ad unitatem revocandis omnis Ecclesia per Quadragesimam Deum, quotannis, precatur: atqui Ecclesia, pro Schismaticis ad unitatem revocandis, etc. 2°. Quia Schismaticus neque ad animam, neque ad corpus Ecclesiæ pertinet; non quidem ad animam, cum caritatem, in qua maximè sita est Ecclesiæ anima, gravissimè lædat; non etiam ad corpus, cum legitimis Pastoribus debitum denegat obsequium, eorumque auctoritatem contemnat. 3°. Quia ita docent Patres: *Ecclesia quæ Catholica, ait sanctus Cyprianus, et una est, scissa non est, nec divisa.* (*Edit. Baluz. pag. 123. Ep. 69.*) Hieronymus parem facit hæc de Hæreticorum et Schismaticorum conditionem: *Inter Hæresim et Schisma, inquit, hoc interesse arbitramur, quòd Hæresis perversum dogma habeat; Schisma, propter Episcopalem dissensionem, ab Ecclesia pariter separat.* (*Epist. ad Titum.*) *Hæretici et Schismatici, inquit Augustinus, congregationes suas Ecclesias vocant; sed Hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; Schismatici autem discessionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam quæ diligit Deum, nec Schismatici, quoniam diligit proximum.* (*Lib. de fide et symbolo. cap. 10.*) Chrysostomus, (*Homil. 11. Epist. ad Ephes.*) Schismaticos comparat manni à corpore præcisæ, et Optatus, (*Lib. 1. ad Parmenianum.*) Cyprianusque, (*Lib. de unitate Ecclesiæ.*) cum ramis, rivulis et radiis, ab arbore, à fonte, à sole disjunctis: atqui ramus ex arbore, rivulus à fonte, radius à solo distractus, jam desinit esse

pars arboris, fontis, solis; ergo nec Schismatici in partem Ecclesie veniunt.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Non magis Schismatici sunt extra Ecclesiam, quam decem Tribus Israel, quae a duabus aliis discesserant, fuerunt extra Synagogam: atqui extra Synagogam non erant; ergo nec Schismatici sunt extra Ecclesiam.

Resp. Dist. min. Extra Synagogam non erant ex decem Tribubus ii quibus nulla fuit cum aliorum Schismate et cultu sacrilego communicatio; conc. min. ii qui aliorum Schismatici sacrilegoque cultui adhærebant, neg. min.

Itaque omnes decem Tribuum Israelitae, licet à duabus aliis disjuncti, animo tamen non erant iidem; sed valde discrepabant. Alii ante Baal genua non flectebant, et Hierosolymitanis fidelibus ex totis præcordiis adhærebant; alii vitulos aureos venerabantur, et non tantum, quotannis, in Templum Hierosolymitanum, ut à Domino præceptum erat, non conveniebant, sed et convenire renuebant. Hi posteriores, non Schismatici tantum, sed et Idololatæ erant; minimè verò priores: ut enim Schismatici haberentur, dicendum esset, eos hanc meruisse notam, vel quia Templum quotannis non adibant, vel quia nova erigebant altaria: atqui utraque hæc ratio falsa est; et quidem prima. Vetuorat enim Rex Jeroboam, ne quisquam peteret Hierosolymam, ac proinde jam eos non urgebat Dei præceptum. Quam ob causam, Elias, Elysæus, sanctissimi illi Prophetae ab hoc itinere abstinebant; et quidem sine crimine Schismatis: quis enim eos dixerit Schismaticos, qui propter severum Principis decretum, et coacti, nullum quidem haberent publicum Religionis exercitium, sed Catholicorum societati semper essent animo conjunctissimi? Non valet etiam secunda ratio, quia altaria non ere-

rant, nisi ut sincerum veri Dei cultum retinerent, suamque à Templo haud voluntariam separationem solarentur, et mitigarent. Undè Elias apud Deum conqueritur, quòd Achab et Jezabel hujusmodi altaria destruxissent.

Obj. 2^o. Anno 1378 ortum est luctuosissimum Schisma annorum 51, cum nempe Gregorio XI defuncto, successor ex una parte datus est Urbanus VI, qui Romæ sedit, et ex altera Clemens VII, qui sedem Avenione collocavit; utriusque non defuerunt successores.

Unde sic: Schismatici fuere saltem ii qui Clementi VII adhæserunt, ipsiusque successoribus, inter quos fuit Benedictus XIII: illos enim non fuisse veros Pontifices pronuntiasse videtur Ecclesia; siquidem Pontifex qui sedit anno 1724, Benedictus XIII appellatus, non Benedictus XIV; atqui tamen Galli et Hispani Clementis VII sectatores, extra Ecclesiam non fuere; sicut ab Urbani VI partibus stabat sancta Catharina Senensis: ita pro Clemente VII sanctus Petrus de Luxembourgo, Cardinalis ab eo creatus, et qui miraculis clarus obiit; sanctusque Ferrerius deinde pro Benedicto XIII stetit, usque ad Concilii Constantiensis iudicium; ergo Schismatici non sunt extra Ecclesiam.

Resp. Neg. maj. nempe Schismaticos fuisse, qui pro Clemente VII ejusque successoribus steterunt: qui enim in causa dubia, Sedi Apostolicæ, tanquam unitatis centro, adhærebant, iudiciumque Ecclesie debitam cum reverentiâ expectabant, ii sanè dici nequeunt Schismatici: atqui 1^o. reserat prorsus ambigua, et ita difficilis, ut duo Concilia, Pisanum et Constantiense, ad litem dirimendam congregata, satius duxerint nodum abscindere, duobus scilicet contendentibus abdicationem præcipiendo, quam illum solvere, alterutrius firmam autoritatem et legitimam electionem declarando. 2^o. Utriusque Pape sectator

judicium Ecclesiæ postulabant, cedere parati, ubi primum ab ea pronuntiatum fuisset, ut ex eo patet, quod nitati et concordie revocandæ summo ardore collaborarent; si quis igitur error fuit, in mero facto versabatur, non in ipso dogmate, omnes enim in eo consentiebant, quod legitimo Pontifici obsequendum esset, tanquam Ecclesiæ capiti; ac proinde unitati centro revera adhererant; ergo non erant Schismatici. Idcirco quæcumque jaciebantur ex utraque parte excommunicationum fulmina, neminem feriebant, vanaque erant et inania, cum de legitima autoritate non constaret; neque enim poterant dubii illi Pontifices jurisdictionem suam certam facere, et prohibere ne de re prorsus incerta dubitaretur. Quæ de materiâ vide Natalem Alexandrum. (*Seculo XV. dissert. 1.*)

Inst. Saltem Schismatici erant Patres Concilii Basileensis, qui Eugenio IV, Papæ legitimo Concilium transferenti obtemperare recusarunt, eumque Synodum dissolvere tentantem deposuere substituto in ejus locum Felice V anno 1439, atqui tamen extra Ecclesiam fuisse non existimantur, imò eorum Præses Ludovicus Allemanus Cardinalis Arelatensis, unâ cum Petro de Luxemburg, Beatorum catalogo adscriptus fuit anno 1527; ergo Schismatici non sunt extra Ecclesiam.

Resp. Neg. maj. Cum enim Patribus Basileensibus persuasum esset, Concilium generale Papâ superius esse, Eugenium IV omnia, ut Concilium cui prius adhæserat dissolveret, molientem, pro eo jure deposuerunt, quod vel habebant, vel saltem habere se probabiliter credere poterant; non quidem hæc in re consentientem habuerunt Ecclesiam, quia, ut respondit Ecclesia Gallicana, Avarici Biturigum congregata, dubitandi locus erat, an Synodus Basileensis in sessione 24, in qua adversus Eugenium pronuntiata fuit *de sessionis sententia*, universalem Ecclesiam satis

repræsentaverit, ut rem tanti momenti perageret; tunc enim à Concilio plurimi recesserant Præsules. Ut autem non ideò fuerint Schismatici, satis est 1º. eos probabiliter existimare potuisse, se ita agendi potestatem habuisse; 2º. illos à Petri Sede non discessisse; 3º. paulò post dignitatem Pontificiam abdicante Felice V, omnes Nicolao Eugeni successori paruisse: atqui hæc tria nemo negaverit; ergo nullo modo Schismatici fuerunt Patres Basileenses: quæ de re consule Natalem Alexandrum. (*Hist. seculorum. XV. et XVI. Dissert. 8.*)

Inst. Ex concessis, qui in prædictis Schismaticis à vero aberrabant, per bonam fidem, per unitatis studium, per legitimam de eorum autoritate, qui censuras ferebant dubitationem excusabantur, nec extra Ecclesiam erant: atqui similes causas afferre possunt, qui ab Ecclesia Romana recesserunt Pseudo-Reformati, aliique Hæretici; ergo immeritò ab Ecclesia excluduntur.

Resp. Neg. min. Quos enim excusavimus, in solo facto errabant, et in legitima dubitatione constituti, Sedis Romanæ primatum, communemque judicem, scilicet Ecclesiam, agnoscebant, et omnium Ecclesiæ partium communionem vel retinebant, vel optabant: atqui nihil horum reperias in Protestantibus, quorum hic causam agit *Jurieu*; cum Ecclesia Romana nihil habent societatis, nullum agnoscunt communem controversiarum judicem; Scripturam, proprio cujusque sensu explicatam, volunt unicam esse fidei regulam; quæ omnia fovendo Schismatici aptissima sunt.

Inst. Ex concessis, excusari possunt qui bonâ fide de solo facto disputant: atqui inter Protestantes et Catholicos de solo facto ambigitur, scilicet quænam sit Ecclesia à Christo fundata: ergo excusari possunt Protestantes.

Resp. Dist. maj. De solo facto dubio, minime revelato, et cui jus non illigatur, conc. maj. secus, neg. maj.

Itaque sicut apud jurisperitos, jus est quidquid lege præcipitur; factum verò, quando quæritur an hic vel ille homo contra legem peccaverit: v. g. homicidam mortis esse reum, ad jus pertinet: an verò aliquis homicidium commiserit, merum est factum; ita apud Theologos, jus dicitur quidquid ex verbo Dei vel scripto, vel tradito, credendum ab Ecclesia proponitur, v. g. omnes esse baptisandos; an autem hic vel ille baptisatus fuerit, factum est. Excusari posse, qui de mero facto litigat, saltem si dubium sit, non diffitemur; illi autem nulla suffragatur excusatio, qui de facto minimè dubio, et cui jus annexum est disputat. Porrò tale est factum de quo in objectione agitur: qui enim errat, suam germanam esse putans Ecclesiam, hic pro vera adulterinam, cui legitimæ Ecclesiæ characteres evidenter desunt agnoscitur, non verè eam confitetur Ecclesiam, quam juxta Symbolum confiteri jubemur, sicut ille non verè credit in Deum, vel in Christum, qui alium Deum, vel Christum profitetur, ab eo diversum, cujus fides in Symbolo proponitur; atqui ad jus pertinet Ecclesiam veram confiteri; ergo factum illud jus involvit, nec dubium est; ac proinde excusari non potest, qui circa illud à vero aberrat.

ARTICULUS V.

De Excommunicatis.

Duplex est Excommunicatio, *Major et Minor*: *Major* est censura, quæ homo baptisatus à bonis Ecclesiæ communibus, Sacramentis scilicet, sacrificiis, suffragiis, etc. excluditur; *Minor* autem dicitur censura, quæ à Sacramentis tantum excludit: certum est per excommunicationem mi-

norem ab Ecclesia neminem segregari; de majori duntaxat hic agitur.

PROPOSITIO.

Excommunicati non sunt Ecclesiæ membra.

Prob. 1°. Quia sic jubet Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* (*Matth. 18 17.*) Ibi, juxta communem interpretationem, sermo est de excommunicatione in peccatorem contumacem lata; ac proinde qui hac pœnâ plectitur, habendus est tanquam Ethnicus: atqui certè Ethnicus corpori Ecclesiæ omninò est alienus.

2°. Quia ita statuunt Patres. *Spiritali gladio, inquit sanctus Cyprianus, superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesiâ ejiciuntur.* (*Epist. 623. Edit. Baluz. pag. 103.*) Porrò qui de Ecclesia ejiciuntur, non sunt illius membra; atqui per excommunicationem, quam *spiritali gladio* designat Cyprianus, Peccatores contumaces ejiciuntur de Ecclesia; ergo etc. *Quisque præciditur, inquit Augustinus, cum visibiliter excommunicatur.* (*Lib. de unit. Eccl. cap. ultim.*) Atqui ad Ecclesiæ corpus non pertinent, qui præciduntur.

3°. Quia inter pœnas ecclesiasticas, nulla unquam gravior habita est, quam excommunicatio major; hinc, apud Veteres, non nisi in contumaces et maximorum flagitiorum reos decerni et pronuntiari solebat: atqui, nisi ab Ecclesia prorsus excluderet, alia esset pœna gravior, ea scilicet quæ à corpore Ecclesiæ omninò rescinderet.

4°. Cùm absolvuntur excommunicati, ipsis dicitur: *Restituo te unitati Ecclesiæ et membrorum participationi*: atqui hæc verba satis probant excommunicatum ab unitate Ecclesiæ, et ipsis membrorum numero fuisse primò recisum; ergo, etc.

Dices 1°. Victor, Pontifex Romanus, Athonos, qui Pascha die 14 lunæ celebrabant, excommuni-

cavit: atqui tamen tunc non desierunt esse Ecclesiæ membra, ut apud omnes constat; ergo excommunicati non sunt extra Ecclesiam.

Respondeo inter viros eruditos nondum constare, quomodo Victor erga Asiaticos sese gesserit, qui juxta veterem, apud ipsos, consuetudinem, sed contra aliarum Ecclesiarum, et Romanæ imprimis, morem, Pascha 14 lunæ celebrabant. Alii contendunt excommunicationis sententiam in Asiaticos Episcopos latam fuisse, sed eam nullum prorsus effectum habuisse, quia cæteri per orbem Episcopi acriorem Victoris zelum improbârunt, et Asianos in sua communione retinuerunt. Ita sentiunt Baronius, Tillemont, etc. Alii contra putant Victorem, id quidem consilii cepisse, ut Asiaticos excommunicaret; sed eum sancti Irenæi Lugdunensis Episcopi, aliorumque Præsulum rationibus et intercessione commotum intra minas stetisse, ad melioremque agendi et sentiendi modum rediisse; ita Natalis Alexander et alii. Ex his autem duabus opinionibus, neutra propositionem nostram labefactat; si enim intra minas steterit Victor, tùm nullus est difficultati locus: qui verò excommunicationis sententiam pronuntiaverit, quæ nullum habuerit effectum, proinde est, ac si non extitisset: ac proinde omnino etiam evanescit proposita difficultas.

Dices 2°. Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cum sancto Firmiliano, et aliis qui Baptismum ab Hæreticis datum, nullum esse, ac proinde iterandam, contendebant, à Sancto Stephano Romano Pontifice, qui aliter sentiebat, excommunicatus est: atqui tamen, nec sanctus Cyprianus, nec alii extra Ecclesiam fuerunt; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. id est, Stephanus ab eorum communione ipse abstinuit, conc. maj. id est, publicâ et juridicâ sententiâ à communione Ecclesiæ exclusi sunt, neg. maj.

Dicimus itaque Stephanum à Cypriani et Firmiliani communione recisisse quidem, sed juridicam in eos excommunicationis sententiam non tulisse; 1°. quia nullibi legitur eum ad extrema hæc devenisse; 2°. quia cum Cyprianus et Firmilianus, post celebratas varias Synodos, Romam legatos misissent, eos neque ad communionem, neque ad suum conspectum admittere voluit Stephanus; quinimo illos ab hospitio prohibuit, nolle se cum Baptismum interantibus communicare declarans; 3°. quia illud patet ex Firmiliani epistolis, in quibus Stephanum sic arguit: *Lites et dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi; peccatum vero quàm magnum tibi exaggravasti, quando te à tot gregibus scidisti! excidisti enim teipsum, noli te fallere; siquidem ille vere est schismaticus, qui se à communione Ecclesiastica unitatis apostatam fecerit: dum enim putas omnes à te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinueris.* (Cypr. Edit. Baluz. Ep. 76. pag. 150.) Ex his Firmiliani verbis duo licet concludere; primum, Stephanum sese à communione iterum baptisantium segregasse; secundum, hanc agendi rationem prorsus sibi fuisse propriam, siquidem à Cypriani societate recedendo, à communione Ecclesiæ solus recedere videbatur.

ARTICULUS VI.

De Catechumenis.

Catechumenus ille est, qui adhuc fidei doctrinam audit, ad Baptismumque sese comparat. Nulum est dubium quin Catechumeni per caritatem ad Ecclesiæ animam pertinere possint, ad corpus autem affectu et desiderio, quatenus Baptismum recipere, sicque societati fidelium aggregari sincere cupiunt; sed quæritur, utrum aciu et reipsa sint Ecclesiæ membra.

P R O P O S I T I O.

Catechumeni non sunt actu corporis Ecclesiae membra.

Prob. 1°. Quia Baptismum nondum receperunt, per quem in Ecclesiam fit aditus: quod enim erat in Synagoga Circumcisio, id in Ecclesia Baptismus est: atqui sine Circumcisione nemo censetur Synagogæ membrum; ergo nec esse potest Ecclesiae membrum sine Baptismo. 2°. Quia Catechumeni jus non habent in Ecclesiae Sacramenta: atqui tamen quodlibet societatis alicujus membrum, in communia hujus bona sibi merito jus vindicat. 3°. Quia Patres Catechumenos inter fideles nunquam recensent; imò semper ab iis distinguunt.

C A P U T I I.

De Notis Ecclesiae.

PER notas Ecclesiae intelliguntur certa quaedam et indubitata signa, quibus vera Christi Ecclesia discerni possit ab Hæreticorum et Schismaticorum societatibus, quæ veræ Ecclesiae titulo gloriantur, prorsus immeritò: ut autem genuinæ sint illæ notæ, tres requiruntur conditiones. 1°. Veræ Ecclesiae ita sint propriæ necesse est, ut alteri societati non convenient; alioqui non possent veram discriminare Ecclesiam, cum nullares per signum multis commune discerni possit. 2°. Debent esse ipsâ Ecclesiâ notiores, cum ad ipsius notitiam perducant. 3°. Quædam saltem ex illis sint omnibus obviæ et accommodatæ, ut veram possint dignoscere Ecclesiam, cui nomen dare, et in qua permanere debent, si velint salutem

consequi. Dicemus 1°. de falsis; 2°. de sinceris veræ Ecclesiae notis, et cui societati convenient.

A R T I C U L U S P R I M U S.

De falsis Ecclesiae notis.

Duas duntaxat Ecclesiae notas proponere solent Protestantés, scilicet sinceram verbi divini prædicationem, seu veritatem doctrinæ privato examine discussæ, legitimumque Sacramentorum usum. Ita Confessio Augustana, (art. 6.) et Calvinus, (lib. 4. Inst. cap. 1.) Unde sic argumentatur: Veritas doctrinæ non competit nisi veræ Ecclesiae: atqui societas Protestantium veritatem doctrinæ habet, ut cuilibet privato examine constare potest; ergo societas Protestantium sola vera est Ecclesia. Stant ex adverso Catholici, juxta quos, nedum veritas doctrinæ privato examine cognitæ genuina sit Ecclesiae notæ, imò potius veræ Ecclesiae autoritas via est tutissima, quæ ad veræ doctrinæ cognitionem pervenitur: cum quibus sit-

P R O P O S I T I O.

Neque vera Doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus sunt veræ Ecclesiae notæ.

Iisdem probatur argumentis utraque propositio nis pars. Legitimus enim Sacramentorum usus ad veram pertinet doctrinam, quæ et decernitur quænam sint à Christo instituta Sacramenta, et traduntur regulæ quarum ope rectè accipiantur.

Prob. Quia veritas doctrinæ neque est nota Ecclesiae propria, neque omnibus accomodata, quamvis eam solam admittant Protestantés, neque notior Ecclesiâ. 1°. Quidem non est nota Ecclesiae propria. Character enim veræ Ecclesiae proprius ipsi soli competere debet: atqui veritas